

OREMUS.

DOMINE Deus, qui per Apostolum tuum Jacobum locutus es : Infirmatur quis in vobis ? inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum Oleo in Nomine Domini ; et oratio Fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus ; et si in peccatis sit, remittentur ei : cura, quæsumus, Redemptor noster, gratiâ Sancti Spiritus languores istius * infirmi [*vel infirmæ*], ejusque sana vulnera, et dimitte peccata ; atque dolores cunctos mentis et corporis ab * eo [*vel ea*] expelle, plenamque interiùs et exteriùs sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiæ tuæ * restitutus [*vel restituta*], ad pristina reparetur officia. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

OREMUS.

RESPICE, quæsumus, Domine, * famulum tuum [*vel famulam tuam*] N. in infirmitate sui corporis fatiscentem, et animam refove quam creasti, ut castigationibus * emendatus [*vel emendata*], se totum sentiat medicina * salvatum [*vel salvatam*]. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OREMUS.

DOMINE Sancte, Pater Omnipotens, æternæ Deus qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo